

delictis, quæ ex natura sua non solent sine sociis perpetrari, vel modo Judici sit verisimile, fuisse cum sociis perpetratum, vel ex alicujus mandato aut consilio. Ratio est, quia interest Reipublicæ, ut hujusmodi facinorosis hominibus purgetur. Hujusmodi sunt latrones, qui de sociis omnino sunt interrogandi, quia solent latrones vel habere socios, vel receptatores: idem est dicendum de cursoribus falsæ monetæ, idem de reis criminis læsæ Majestatis, quod raro sine complicibus committitur. Idem in maleficis seu veneficis observatur, ut de sociis examinentur, tum quia veneficia vel docentur, vel discuntur ab aliis, tum maxime, quia ad comunem Reipublicæ salutem summè necessarium est, hujusmodi abominandum genus hominum radicibus extirpari. Denique quando ex personæ conditione verisimile sit, quod crimen alterius mandato fuerit perpetratum, interrogatur, an aliquis, & quis mandaverit, id quod in Assassinis fieri solet.

Quodsi Consuetudo alicujus loci adhuc est universalior, (prout in pluribus locis esse testatur Jul. Clarus q. 21.) illa non est reprehendenda, ut nimirum in omni delicto, quod cum sociis fieri potuit, vel complicibus, interrogentur rei. His præmissis

282. Dicendum est I. In casu quo vel reus sponte nominat socium, vel ad interrogationem quidem Judicis, sed non Juridicè seu jure factam, talis nominatio plus non operatur, quam ut faciat sufficientem Indiciam ad inquirendum remota in talem personam, & accipiendam de ea informationem. Ità ex communi Julius Clarus lo. cit. merito improbens consuetudinem quorundam procedendi ex tali depositione ad torturam. Imò nec sufficit ad transmittendam inquisitionem, cum per hanc reddatur persona non parùm suspecta, nec levem apud alios notam contrahat. Itaque solum sufficit ad informationem clam capiendam: vel enim per hanc nullum novum indicium acquirit, & sic non progreditur Judex ulterius: vel accipit nova indicia, & tunc non vi depositionis à reo factæ, sed vi novorum indiciorum procedit ad specialem inquisitionem, ejusque transmissionem, ut inquisitus comparere cogatur ad se defendendum.

283. Dicendum II. Nominatio socii ad interrogationem Judicis jure factam, non solum ad primum gradum inquisitionis, (de qua jam dictum) sed etiam ad secundum gradum sufficit, hoc est, ad formandam inquisitionem, eamque nominato transmittendam, ut cogatur personam alterius comparere, & se defendere. Quod tamen DD. limitant, nisi reus nominans esset perjurus, tunc enim ejus nominatio ad solum primum inquisitionis gradum sufficeret.

284. Dicendum III. Nominatio socii nunquam sufficit ad torquendum nominatum,

nisi tria concurrant. 1. ut duo rei interrogati nominent tertium socium, nec refert, etiam si sint singulares, hoc est unus de uno, alter de alio facto deponat. 2. ut cum Juramento. 3. ut in tortura. Nam sine tortura tali reo jam confessato, adeoque infami, non creditur. Quodsi Judex uno ex his deficiente ad torturam procederet, confessio inde secuta ipso jure nulla esset. Et quamvis quoad exactionem juramenti aliqui alii observent, errant tamen in hoc, ut ait Marcellus, & Julius Clarus, nam in tali nominatione fungitur vice testis, testi autem non jurato non creditur. Sufficit tamen, quandocunque intervenisse Juramentum, sive ante torturam, sive præsertim eo contra quem deponit, prout servatur in confrontatione, de qua infra.

CONTROVERSIA IV.

De Juramento testis necessario in Criminalibus.

SVMMARIVM.

AN Juramentum possit testibus ab adversa parte remitti. 285.
An testes in generali inquisitione sine juramento examinari, postea in speciali sint sub juramento examinandi. 286. & seqq.

Suppositis illis quæ tomo præcedente de Juramento testis disputata sunt, in præsentia, 285. Queritur I. an in Criminalibus possit Juramentum à parte adversa remitti, sicut potest in Civilibus.

Dicendum videtur, ob communem DD. Auctoritatem, non posse remitti. Ità cum aliis supponit Farinacius, & post eum Carpovius. Probat, assignando causam disparitatis in Civilibus & Criminalibus, quam tradit Mascardus lib. 1. q. 5. à num. 108. In civilibus agitur solum de partis interesse: mirum ergo non est, posse à parte remitti, in cuius præcisè favorem introductum est, cum quis visus possit favori suo renuntiare. At verò in causis capitalibus agitur insuper, & vel maxime ac præcipue de publica utilitate, ut vel delicta puniantur ad aliorum exemplum, & respublica sceleratis hominibus expurgetur, vel certe innocentes subditi non opprimantur: at qui non debet privatus posse renuntiare favori in bonum Reipublicæ introducto, unde nec Clericus potest renuntiare privilegio fori in honorem totius Cleri concessio. Ergo. In examine testi-

estium instituto ad convincendum reum, adeoque in accusatione, vel Inquisitione speciali nunquam est remittendum: quod tamen, an observetur, quando examinantur personæ illustres, præcedentes privilegium, consuetudo consulenda est.

286. Queritur II. Quandoquidem in Processu generalis inquisitionis, seu in primo inquisitionis gradu, (ut alii loquuntur) frequentissime testes, nullo exacto ab illis juramento, examinentur, an si postea instituat inquisitio specialis, seu in secundo gradu, debeant aut possint iidem testes denuo produci, & præstito juramento, deponere. Ratio dubitandi est non levis. Quia communiter DD. tradunt, quòd Juramentum post depositiones factas præstitum, depositiones prius factas non confirmet: cujus hæc est viva ratio. Si enim Juramentum à principio non exigatur, periculum est, ne falsa deponantur, absente nimirum Jurisjurandi stimulo. Jam, si postea exigatur Jusjurandum, quo depositiones sic factæ confirmantur, profecto adest vehemens periculum perjurii, quotuscunque enim ejus religionis reperietur, ut se confundat, & timore perjurii committendi fateatur, se prius mendacem testem egisse?

287. Ob hanc rationem profectò consulti-ssimum esset, ut (quemadmodum in Senatu Academico diligenter observatur) testes in generali inquisitione deposituri, moneantur, ut ita deponant, ut, si forte postea Juramentum exigatur, possint illud sine perjurio præstare. Verum, quia forte hæc consuetudo non ubique observatur, nec illius DD. mentionem faciunt, ideo

Respondet Carpovius n. 69. usu receptum esse, ut testes, qui prius injurati deposuerunt, denuò producantur, ut deponant jurati in speciali inquisitionis processu. Et si aliter diceretur, semper esset in potestate Judicis, testes injuratos examinando Judicium probandi facultate fraudare, & inquisitum à condemnatione liberare. Ità ille ex Hartmanno Pistorio. Verum hæc ratio non est universalis, quia non procedit in processu per Accusationem, ubi penes accusatorem est, producere testes Judici ignotos, & cum quibus non potuit hoc modo colludere.

288. Ad rationem dubitandi respondet Carpovius, perjurium non esse præsumendum futurum, & ejus suspicionem seu periculum tantè ponderis non esse, ut propere facultas probandi inquisitori sit adiuvenda; & nocens dimittendus. Neque hoc, meo Judicio, temere dicitur: nam requiritur, ut testes sint omni exceptione majores, quales si fuerunt adhibiti in inquisitione generali, à talibus profectò non est timendum perjurium, quia nec est morale peri-

culum, quòd prius etiam non jurati falsum dixerint. Quodsi non fuerint tales, postea in inquisitione speciali non facile producentur, aut si in aliorum defectum producantur, possunt severè admonitione commoveri, ut vel aperte fateantur, se prius ex aliquo humano respectu non satis sincerè respondisse, vel alio modo pallient mendacium, si quod commiserunt, ita tamen ut illud non repetant.

Ob eandem rationem ex communi DD. testes non sicut examinati iterum producantur etiam post publicatas attestaciones, prout tradunt plures, quos refert Gail lib. 1. obs. 105. n. 12. & Carpovius n. 71.

CON TROVERSIA V.

De Confrontatione Testium vel Socii Criminis cum Reo.

SVMMARIVM.

Confrontatio quandoque habet vim citationis. 289.
Non est de substantia processus. 290.
Non adhibenda cum Passillis aut famulis, vel liberis. 291.
An facienda sit etiam in adiacentibus punctis parali, iudici arbitranda est. eod.
Necessaria est, si testes dicant, se reum novisse solum ex visu. 292.
Quomodo procedendum in confrontatione socii criminis. 293.
An testes possint cogi ad subeundam confrontationem. 294.
An ad instantiam vel testes sint necessario confrontandi. 295.
Quomodo ante actualem confrontationem interrogandus reus circa personam confrontandam. 296.
An solus reus, vel cum eo alii similes sint testi obsecranda. 297.
Quid sit reus petere ut alius non ipse obsecratur oculis testis. eod.
Quanam ex prius actis repetenda in ipsa confrontatione. 298.
Quædam ad ipsam confrontationis formam spectantia post factam recognitionem. 299.
An Confrontatio rite peracta impediat repetitionem testium ad instantiam Rei. 300. & seq.
Quid sit reus in recognitione aberrare? 301.

289. Quamvis Regula sit, quòd reo non citato, testium depositiones nihil probent

bent contra reum, nihilominus Confrontatio quandoque in hunc finem adhibetur, ut habeat vim citationis. Est enim in Judicis electione, testes pro Curie informatione examinatos, vel, reo citato, cum suis interrogatoriis, reperere, vel ad rei faciem confrontare, prout sibi melius videbitur. Circa quam confrontationem

290. Dicendum I. Eam non esse de Substantia processus, nullo enim Jure requiritur: ergo ea prætermissa non vitatur processus. Et quamvis, per se loquendo, sit valde utilis ad veritatem facilius elicendam ex mutuo colloquio testis cum reo, vel Socii delicti cum Socio reo, & ut ex quibusdam signis aut gestibus, vel alteratione denique reus vel adducatur ad criminis confessionem, vel indicia præbeat ad torturam, nihilominus sæpe ex gravi & rationabili causa omittenda est, ne alioquin ipse Judex actione injuriarum conveniri possit, qui (ut loquitur Carpovizius) ad solam inculpationem vitam honestum cum inquisito confrontari facit, cum non sit minimus actus præjudicialis & odiosus, famamque viri honesti non parum afficiens. Unde non ita pridem scio ab Illustribus personis fuisse recusatam hujusmodi confrontationem cum levissima meretricæ, quæ illos tanquam complices nominavit, ut suam turpitudinem palliaret.

291. Monentur insuper Judices à Sigism. Scaccia q. 86. n. 13. & Guazzino *defens.* 20. n. 19. ne deveniant ad confrontationem, si testes essent Vasalli, vel famuli, vel liberi, contra eos quibus debent reverentiam, vel quorum potentiam timeant, quoniam sæpe accidit, ut coram eis ob reverentiam aut metum non persistant in sua depositione, vel illam pallient, vel in totum destruant.

Dissentiant DD. in eo, quod aliqui putent, nunquam esse faciendam confrontationem nisi in principali negotio, & quando stant in contradictoriis immediate & directe. Alii autem volunt posse fieri in adjacentibus: in quo videtur Judicis arbitrio tribuendum, ut videat, an ad finem & intentum totius processus possit esse notabiliter utilis confrontatio.

292. Dicendum II. Si testes dicant, se reum cognoscere solum ex visu, non autem de nomine, tunc confrontatio est simpliciter necessaria, sicut etiam, si reum describant per signa, v.g. staturam, vestes &c. sed tunc non est faciendam in forma confrontationis, sed recognitionis: prius ergo debet Judex petere à testibus, ut reum describant per staturam, ætatem, habitum, & alias circumstantias etiam minimas: quodsi deinde in actuali confrontatione testes nolent reum recognoscere, fierentque suspecti, essent variis modis interrogandi, ut monent citati AA.

293. Dicendum III. Si Socius Criminis confrontatur, tunc nisi non statim ad torturam videatur examinandus presente reo; si tamen persisterent in contradictoriis, tunc in præsentia rei erit tortura admovendus, & in ea interrogandus, an persistat in depositione. Et si persistat, remittenda tortura, & deinde iterum interrogandus, quamvis hoc ultimum non sit necessarium. Modum examinandi exemplificat ad longum Scaccia. Hoc casu tortura purgat suspicionem, quæ alioquin esset contra locum.

294. Dicendum IV. In casu quo confrontatio est necessaria ad hoc, ut reus per confrontationem convinci possit, sicut possunt testes ad testificandum cogi, ita etiam ad subeundam confrontationem. Ratio est, quia in tali casu confrontatio est necessarium medium ad rectam testificationem obtinendam: atqui qui habet Jus ad finem, habet etiam Jus ad media necessaria. Ergo &c.

295. Dicendum V. Quamvis aliqui putent, quod ad instantiam Rei testes sint confrontandi, stando tamen in ratione, videtur potius negandum. Ratio mea est, quia Confrontatio est inventa in odium Rei, & ad eum facilius vincendum, ad quem finem reus nunquam petet confrontationem, sed potius, quia sperat, quod testes non sint ausuri sibi contradicere. Unde Modernus Romanus testatur, quod Advocati nunquam hoc poterint obtinere in Curia. Quodsi tamen pro reo starent aliqua præsumptiones contra testes, non esset prohibitum Judici, deferre ejus petitioni, & hoc æquitas postulari, quia reperiuntur homines quos pudet alicui in faciem asserere falsum, non tamen in absentia.

296. Dicendum VI. Antequam fiat actualis confrontatio, interrogandus est reus, an noscat hunc vel illum, nominando inter tales testes, cum quo cogitur confrontationem fieri posse, an habeat illum pro viro bono & probato, an si illi amicus vel inimicus, an auferat illi asserenti in faciem negare, & arguere mendaciam, & similia, & ex responsis colligi poterit, an confrontatio expediens sit.

297. Dicendum VII. Ad declinandam speciem suggestionis, in forma recognitionis, non solus reus seu inquisitus est objiciendus oculis testis, aut socii criminis in confrontatione, sed adhuc unus vel alius qui commode haberi possunt non ab similes reo, & inter illos reus comparere debet absque ullo reatus indicio, hoc est absque manicis aut compedibus ferreis: & non solum testes, sed etiam socii debent singuli seorsum confrontari, quia funguntur munere testis.

Sed, quidsi reus peteret à Judice, ut non se, sed alium sibi similem objiceret oculis testis, an esset

esset audiendus? R. Negative, ut bene probat Scaccia. n. 61. quia quemadmodum ostensio Rei ad oculum, hoc est illius solius sine adjuncto simili, daret materiam fabricandi falsum contra reum, & ideo improbat, ita e converso ostensio alterius sine reo, daret materiam fabricandi falsum contra seipsum, & ideo non est faciendam.

298. Dicendum VIII. Non obstante, quod forte testes jam antè & in priori examine juraverint, vel socii & suspecti fuerint quaestioni subiecti, in actuali confrontatione ea omnia repetenda sunt in præsentia ipsius inquisiti. Ita observatur in praxi.

299. Dicendum IX. Post factam recognitionem, ad ipsam confrontationis formam spectat, ut Judex faciat per Notarium legi testi ad faciem Rei quæ deposuerat in primo & separato examine: & ad cavendam speciem fraudis aut suggestionis expedit, ut ante depositionem lectionem Judex jubeat testem per seipsum, summatim & in substantia recensere quæ deposuerat: imò reo hoc petente debet hoc Judex facere, ne alioquin fiat suspectus de suggestione. Quodsi tamen testis diceret, se non amplius satis accurate recordari, sed velle ut sibi legatur, & ceteroquin careret suspitione, non esset urgendus, nisi forte, ut alterum unum alterumve repeteret, nec enim careret suspitione, qui diceret se nullius responsi recordari. Quodsi contrarietas & contradictio inter testem & reum solum consistat in uno vel altero articulo, illa sola depositio erit legenda. Facta enarratione, & lectione, debet Judex testem interrogare, an, memor præstati Juramenti, persisteret in hac sua depositione: quo affirmante, proceditur ulterius, vel ad confrontationem aliorum, vel ad torturam rei, vel ad sententiam, prout ordo judicii requisiverit.

300. Controversatur hæc utiliter, an confrontatio ritè peracta sit tantæ efficacis, & hunc effectum operetur, ut impediatur repetitionem testium ad instantiam Rei, quia forte sperat, se per nova interrogatoria testibus proponenda posse eorum testimonium infirmare, quæ repetitio cæteroquin de Jure concedenda est extra casum Confrontationis. In facti contingentia fuisse denegatam repetitionem, refert Guazzinus cap. 21. nempe tempore Clementis Octavi in causa Mariani Costæ Bancherotti (cujus Guazzinus erat Advocatus) cui in Tribunali A. C. fuit denegata repetitio, cum prius semper fuerit contrarium observatum: & quamvis Advocatus satis exclamaverit apud dictum Pontificem, dicendo, nec de Jure, nec de consuetudine posse repetitionem denegari, ipse Summus Pontifex uno verbo respondit, quod tunc qualitas causæ ita requirebat. De cætero, & loquendo de via ordinaria

301. Dicendum est X. De Jure verius, & à DD. communiter approbatum esse, quod Confrontatio non impediatur repetitionem universali ter. Nempe in Curia Romana praxis habet, eodem Guazzino teste, ut si in ipsa confrontatione reus sicut sagax in interrogandis testibus ad sufficientiam, nec proinde ex repetitione testium resullaret alius effectus, tunc non concedatur repetitio, bene tamen si reus non interrogavit ad sufficientiam, & ideo speratur alius effectus ex repetitione: qui effectus sæpe sperari potest, quia reus ut plurimum alteratur cum testibus in confrontatione, & ideo non videtur satis animo collectus ad interrogandum, potestque à sagaci Advocato instrui ad alia interrogatoria formanda. Certum enim est, quod liceat reo in confrontatione testes interrogare, cum confrontatio fiat præcipue, ut purgetur defectus Citationis.

302. Quereret aliquis. Quidsi testis in recognitione aberraret, & aliud quam ipsum reum designet, an talis designatio aliquid operetur? R. Negative, non quidem ratione ipsius Rei, qui potius per hunc errorem exculpatur: non etiam ratione designati, quia, ut suppono, ille non est receptus inter reos, nec gravatus, nec inquisitus.

CONTROVERSIA VI.

Quibus casibus possint Testes deponere per Scripturam.

SUMMARIVM.

Mutus & Surdus potest testificari per Scripturam. ^{303.}
Factum implicatum & involutum, potest testis scripto concipere, & Judici legere. 304.
Persona honestioris & omni exceptione majores, possunt scripto deponere. eod.
Judicis arbitrio idem relinquatur, si Scriptura accedat Juramentum. 204.

303. Quamvis præ Regula habeatur, quod testes debeant oreterus deponere & respondere ad interrogaciones, sunt tamen Casus excepti.

Primo, Mutus & Surdus à Nativitate vel ex accidenti, vel habens linguam incisam, ut loqui non possit, testificari potest per Scripturam. Juramentum potest præstare per Procuratorem, sed non

non per eum ferre testimonium. Quod si scire nesciat, poterit examinari mediante interpretibus per nutus & alia signa, quae debent à Notario in Actis describi, & adnotari interpretationes, quae fieri possunt per domesticos, qui affuerunt ejus nutibus & gestibus, quibus debet etiam deferri Juramentum, quod velint optimâ fide interpretari. Sicut etiam quando examinatur aliquis extraneus, non callens ullum idioma Judicis notum, mediante interprete jurato examinari potest ac debet.

304. Secundus casus exceptus est, quando factum esset valde implicatum & involutum, poterit testis illud scripto concipere, sed deinde Judici legere.

Tertius casus est, in personis honestioris conditionis, nec idiotis, integræ opinionis, omni exceptione majoribus, hos, inquam, posse in scripto deponere tradit Decius, *responsio* (1. n. 101. lib. 2. & exemplificat in Canonicis, Advocatis, Procuratoribus, & Notariis. Verum, hunc casum non omnes admittunt, & contra Dec. scribit Romanus.

Quartus casus est, quando per Scripturam probatur ætas alicujus, v. g. baptizati ex libro Parochi. Sed hic casus nihil facit ad propositum.

Denique Guazzinus & alii relinquunt hoc Judiciis arbitrio, dummodo Scripturæ accedat Juramentum.

CONTROVERSIA VII.

An in aliqua causa Criminali probent Testes Singulares.

SYMMARIVM.

Ad probandum crimen Lesæ Majestatis, sufficiunt testes singulares. 305.
Quandam singulares testes sufficiant à probandum adulterium, vel vitam turpem. eod.

305. **I**n Crimine Lesæ Majestatis, ad ejus probationem sufficere testes singulares, est communis & recepta DD. opinio, quos refert & sequitur Fatinacius q. 64. n. 220. & Mascardus lib. 1. *Concl.* 463. n. 17. ubi ex Marfilio reddit hanc rationem. Quia ille, qui vult aliquid machinari contra suum Principem, sciens magnitudinem ipsius criminis, & penam quæ reis infligitur, adeo cautè procedit, ut nunquam aperiat mentem,

& propositum suum alicui in præsentia alterius, & hoc ideo, ut casu quo ille, cui dixit, vellet ipsum accusare, possit negare, unde crimen plerumque probari non potest, nisi admitterentur testes singulares.

Alium casum adducunt aliqui, quod singulares testes sufficiant ad probandum adulterium in genere, vel vitam meretriciam. Verum, communior est opinio, hoc solum esse verum, quando proceditur civiliter, v. g. ad privandum dote, non autem, quando proceditur criminaliter, & ad puniendum. Ità aliis relatis concludit Farin. loc. cit.

CONTROVERSIA VIII.

An testis excusetur à testificando de his quæ accepit sub Secreto naturali.

SYMMARIVM.

De quibus secretis hic fit sermo. 306.
An qui jurato promisit secretum, teneatur interrogatus manifestare, si alteri sit damnosum. 307.

Quid si nullum adsit periculum damni. 308.
Non obstante promissione tenetur qui vidit fieri delictum, juridicè interrogatus detegere. 309.
Quid dicendum si fiat inquisitio generalis de delicto notorio. 310.

306. **N**on est questio de Secreto orto ex Confessione Sacramentali, quo tenetur non solum Confessarius ad non revelandum in ullo casu, sed etiam aliæ personæ, ut Superior quem adiit Confessarius ad petendam facultatem absolvendi à casu reservato, item Doctor quem consuluit, Interpres qui Confessionem adfuit, ac denique si quis casu vel ex curiositate audivit confidentem, vel qui se finxit Confessarium. Questio ergo est, de illis quæ quis alteri explicitè vel implicitè sub naturali Secreto concessit, an si deinde talis à Judice jubeatur testimonium ferre, possit acquiescendo, vel cum restrictione mentali, dicere se nescire, intelligendo, eâ scientiâ quam teneatur manifestare.

307. Dicendum I. Quando vel Republicæ, vel etiam personæ privatæ ex malitia illius qui secretum commisit, aut etiam alterius, imminet grave damnum injustè inferendum, ad quod averendum est necessaria testificatio sincera, & revelatio secreti, tenetur interrogatus manifestare, etiam si jurato promississet secretum. Ratio

est, quia Juramentum non est vinculum iniquitatis: ergo si secundum se est illicitum tacere, neque Juramentum obligabit ad tacendum.

Dubium est, quando non adsit periculum hujusmodi damni, quo casu aliqui apud Lessium tenent, quod adhuc teneatur interrogatus manifestare, quia promissio secreti pro casu quo Judex interrogat, est de re illicita: ergo non obligat. Hoc non obstante

308. Dicendum II. Cum communissima Theologorum, quos sequitur Lessius c. 30. n. 6. Molina ro. 5. disp. 5. Lugo disp. 39. s. 2. n. 12. in tali casu promissionem secreti obligare & pravallere, adeoque interrogatum à Judice posse respondere modo prædicto. Ratio est. Quia quamvis præceptum Superioris obliget secundum se, & per se loquendo, non tamen pro casu commisi secreti, quod si liceret violare ad Judicis interrogationem, id tandem per consequentiam redundaret in gravissimam confusionem & perturbationem humanæ conversationis & societatis: nemo enim facile auderet consilium petere in suis dubiis, si sciret, interrogante Judice se esse manifestandum ab eo quem consuluit.

In praxi, & vi hujus doctrinæ excusantur à detegendis delictis Advocati, Medici, Procuratores, Chirurghi, Obstetrices, & similes personæ, quibus sub secreto saltem implicito revelantur delicta, pro remedio vel consilio obtinendo.

309. Dicendum tamen III. Qui vidit delictum perpetrari, obligatur interrogatus Judici illud testificari, etiam si reo promississet, se illud in secreto habiturum. Ratio est, quia illa promissio non potest extendi ad casum juridicæ interrogationis, sic enim esset de re illicita: nam in ipso puncto quo vidit delictum, jam contraxit obligationem illud manifestandi, si interrogetur. Neque dici potest, quod sit tantum obligatio conditionata: nisi promississet secretum. Nam si hæc conditio subintelligenda esset, jam illa obligatio esset de ventò, quia esset in potestate testis, facere, ut non obligetur, nempe promittendo secretum.

310. Procedunt hæc Conclusiones de Inquisitione speciali, & circa personam determinatam, & jam infamatum. Hinc

Dubium est, an, quando Judex procedit per Inquisitionem generalem, eo quod delictum quidem sit publicum & notorium, sed delinquens ita occultus, ut nullus particularis sit vel famâ vel aliis indicijs gravatus, an in tali casu teneatur testis interrogatus sciens delinquentem manifestare, si delictum non accepit sub secreto, sed oculis usurpavit. Assumant graves Theologi, Aragonius, Valerius & Miranda, apud Dianam ro. 1. p. 2. *trac.* 1. *Articell.* *sefol.* 64. item aliis relatis Luisius Tutianus disp. 50. *dub.* 5. n. 5. &

segg. putat esse probabilem, sed absolute sequitur negativam, quæ est longè communior. Ratio est, quia testis solum obligatur respondere formaliter ad id, quod Judex jure potest per ealem inquisitionem interrogare: Atqui Judex non potest jure interrogare de persona particulari non infamata, nec indicijs gravata: sed solum potest interrogare de fama: ergo testis satisfacet, si respondeat, se nescire de fama. Itaque talis inquisitio solum servit ad hoc, ut manifestentur si qui sunt infamati, quos Judex ignorabat, & licet examinatus non teneatur manifestare personam, fortè tamen manifestabit absque obligatione manifestandi, & tunc habebit vim denuntiationis, & aperiet viam inquisitioni speciali. Bene tamen addit Lugo, aliud esse in criminibus vergentibus in damnum commune & innocentis, nam tunc est obligatio manifestandi reum, vel ex charitate, vel ex pietate, vel alia virtute.

CONTROVERSIA IX.

An Testis, qui per errorem, & bonâ fide falsum deposuit, teneatur ex Iustitia postmodum, errore deprehenso, retractare.

SYMMARIVM.

Testis agnoscentes errorem factæ depositionis, tenentur ex charitate retractare. 311.
Imò tenentur ex Iustitia. 312.
Declaratur Conclusio exemplo. 313.
An teneatur retractare cum periculo vitæ. 314.
Quid si testis sciat, se à Judice vel Notario, non fuisse rectè intellectum. 315.
Quid si ex errore nullum incommodum generatur. 316.

311. **E**rrum est, quòd saltem ex Charitate teneatur retractare, si sperat suam retractionem fore utilem ad impediendum damnum, alioquin alteri ex falsa testificatione futurum, & si id possit sine gravi suo damno, hoc est, sine illo damno, quod quis ad proximi damnum gravius impediendum tenetur ex charitate subire, per regulam generalem, explicatam in Opere Theologico de Charitate, & etiam in Tomo. 1. de Iustitia. Dubium est, an teneatur

ex iustitia commutativa, ita ut si non retractet, teneatur restituere & satisfacere pro damno inde securo.

P. Thomas Sanchez distinguit, & docet lib. 1. *Confil. c. 3. dub. 3.* quod quando quis perseverat in officio, seu munere testificandi, teneatur ex iustitia retractare, si verò jam officio functus est, & officium dimisit, non teneatur nisi ex charitate.

312. Dicendum tamen videtur cum communiore, quam tenet Lessius, Molina, quos refert & sequitur Lugo n. 24. teneri semper ex iustitia. In probatione tamen Conclusionis DD. non conveniunt.

P. Lessius sic probat. Qui detinet alienam invito domino, (etiam si per errorem ad se pervenerit) tenetur id restituere, quamprimum deprehendit errorem, & intelligit rem esse alienam. Atqui in casu nostro testis non retractans detinet famam alienam. Ergo tenetur restituere. Hoc argumentum rejicit Lugo, quia non est paritas: nam in priore casu tenetur detinens restituere ex recepta, quia res aliena existit apud ipsum: at vero infamator innocens non detinet apud se famam alterius: sed neque tenetur restituere ex iniusta lesione, quia, ut supponimus, in falsa testificatione non peccavit, quia errore invincibili ductus est. Verum, dici posset pro Lessio, non detineri quidem famam apud se physice, & tanquam rem corporalem, sed tamen moraliter, nempe si retractet, fama per se redibit ad laicum. Verum, quidquid sit de hac subtilitate

313. Card. de Lugo meliori exemplo rem declarat. Qui ex inculpabili inadvertentia vel errore applicuit ignem domui alienæ, quamprimum agnoscit errorem, tenetur extinguere ignem, si potest sine gravi damno proprio, alioquin tenebitur ad restitutionem damni. Ergo à pari, qui falsum testificatur, quia applicuit per errorem ignem famæ alienæ, tenebitur, animadverso errore, extinguere ignem & incendium, quod sit retractando. Rationem specialem reddit P. Molina, quia testis postquam assumpsit officium testis, non minus obligatur ad rectè testificandum, quam iudex ad rectè iudicandum: atqui iudex etiam quando per errorem inculpabilem malè condemnavit, errore cognito tenetur retractare, si sperat profuturam retractationem, & absque suo gravi damno potest retractare; ergo etiam testis.

Rationem magis universalem reddit Lugo, ex principio, quod alibi tradidi, & similem difficultatem dissolvi, nempe unumquemque teneri ex iustitia non solum ad non inferendum damnum alteri scienter & malitiosè, sed etiam ad procurandum, quantum commodè potest, ne ex sua actione, quantumvis innocenter posita, damnum alterius consequatur. Prior

obligatio est absoluta, nunquam enim licet directe alteri inferre damnum absque jure, sive in bonis fortunæ, sive in fama, aut bonis corporis, aut animæ, ut per se clarum est, quia alter habet jus ad hæc bona: posterior verò obligatio est cum limitatione, nempe, quantum sine meo gravi incommodo possum, quod non tenetur ex charitate pro altero subire, v.g. non tenetur ad alterius gravem morbum curandum procurare medicamenta preciosa. Hinc patrifamilias tenetur non solum ipse non detrahere proximo, verum etiam tenetur ex iustitia impedire, ne sui domestici alteri detrahant, sed ad hoc non tenetur, nisi in quantum sine suo gravi incommodo potest impedire: quod si non possit, forte quia necesse esset suos domesticos nunquam permittere versari inter alios, quod ipsi incommodum esset, ideo ad hoc non tenetur, & quando deinde domestici detrahunt, non potest imputari patrifamilias illa detractio, quia tunc habet se merè permittivè, absque obligatione impediendi, quia hanc obligationem non potuit natura imponere, utpote non facile observabilem. Sic ergo tenetur unusquisque hoc secundo genere obligationis procurare, ne ex suis actionibus præteritis patiatur proximus detrimentum. Et hoc sensu potest esse verum, quod dixit supra P. Molina, scilicet hanc esse obligationem quasi ex officio, quia nimirum unusquisque tanquam gubernator suarum actionum tenetur earum errorem corrigere, sicut patrifamilias tenetur corrigere errorem suorum domesticorum, ne extraneis inferant noxiam tantum.

314. Hinc patet, multum excessisse, & nimium extendisse hanc obligationem quandam Vultherum apud Dianam, nempe quod talis testis teneatur revocare cum periculo vitæ suum errorem. Hoc enim verum quidem est, quando per malitiam coniecisset reum in huiusmodi periculum, sed quando absque culpa factum est, tenetur solum, in quantum sine suo gravi noxamento potest. Ceterum, huiusmodi noxamentum non deberet testis reputare, quod forte turpe existimet, & etiam à iudice existimandum timeat, agnoscere errorem in depositione commissum, hoc sanè nimis leve est, ut proinde teneatur illud subire ad impediendum forte longè gravius damnum quod imminet reo, si non retractetur falsa depositio.

315. Dubitatum est, an pariter ex iustitia teneatur Testis corrigere errorem Iudicis vel Notarii, si forte ab illis minus rectè fuit intellectus, & inde imminet periculum reo. P. Lessius negat, & vult solum obligari ex charitate. Verum P. Molina & cum eo Lugo, rectius affirmant: quia testis tenetur ex officio testis procurare, ut sua depositio rectè à iudice, Assessoribus, & Actuariis

rio intelligatur: non minus quam iudex teneatur suam sententiam declarare, si adverteret, illam à partibus vel executore fuisse in alio sensu intellectam.

316. Quod si testis aliquid falsum dixisset, ex quo tamen nullum detrimentum aut præjudicium immineret reo, v.g. si in horæ notatione errasset, ita ut perinde esset, si proximam horam nominasset, vel quid simile, tunc nulla esset obligatio retractandi, quia, ut suppono, ne-

gatio retractationis non nocet reo, nec est etiam à iudice curandum, aut desiderandum ut retractetur, quia intentioni ejus nihil deleriret. Si autem nullus Confessarius obligat aliquem ad retractandam falsam narrationem, etiam cum Juramento & perjurio factam, si fuit de re indifferente, & nulli damnosa. Et hæc de Testibus, quæ junctis illis quæ præcedente tomo videri possunt, abunde sufficiunt.



CAPUT VIII.

DE MODO PROCEDENDI IN PROBATIONE ET DEDUCTIONE INNOCENTIÆ, ET DELICTO NON PLENE PROBATO.

CONTROVERSIA I.

An Reo sit dandus terminus Defensionis.

SUMMARIUM.

In Criminalibus omiſſa publicatione proceſſus, hoc ipſo eſſet nullus. 317.
Superſedendum publicationi & danda dilatio petenti accuſatori ad ulterius probandum. 318.
Publicatio proceſſu decernitur reo copia, & petenti datur terminus defenſionis. 319.
Quomodo edenda nomina reſtium. 320.
An ex officio danda indiciorum copia etiam non petenti. 321.

An debeat reus exponere cauſam petendi. 322.
An publicatio proceſſus ſit neceſſaria, ſi reus ſit abſens. 322.

An iudex teneatur dare terminum ad ſe defendendum, petenti reo conſeſſo. 323.

An etiam convictio, ſed non conſeſſo. 324.
An etiam condemnatio in conſumaciam. eod.

Dato termino defenſionis quid habeat praxis circa copiam loquendi cum Advocato. 325.

Quid ſi exiſtaret ſtatutum ſubens conſeſſum ſtatim puniri. 326.

Quando, & quibus poſſit denegari terminus defenſionis. 327.

An Princeps poſſit de plenitudine poteſtatis tollere in criminalibus Reo defenſiones. 328.

An admittenda renuntiatio, ſi reus termino renuntiet. 329.

Quid circa terminum defenſionis poſt publicationem proceſſus obſervetur in Bararia. 330.

Premittendum eſt, quod quamvis in Civilibus cauſis Publicatio Proceſſus non ſit de ſubſtantia Judicij, ſed ea prætermiſſa proceſſus nihilominus valeret, ex communi DD. aliud tamen ſit dicendum in Criminalibus, ubi ſi publicatio proceſſus, ſeu informativi, ſeu offenſivi, ſeu per inquisitionem, ſeu per accusationem facti, omittetur, proceſſus eſſet ipſo jure nullus: cujus ratio viva redditur à Julio Claro q. 48. quia tolleretur reo facultas ſe defendendi. Unde communis praxis habet,